

22
2240 Wenz. Rudan,

De geringe voorinvoeringen...



44167155



Σὺν Σεῷ

CONCLUSIONES DE OPERIS NOVI NUN- ciatione, & Interdicto quod vi aut calm.

De quibus
D E O O P T. M A X.
faciente,

*Amplissimo Iuris. Collegio
decernente,*

ROLANDUS DE VVEERT
Antwerpianus,

Honoris summi in Iure Civili Quiritium, Pon-
tificioq; apiscendi gratia
Publicè responsurus est
proprietie Idus Ianuarii.



*Marpurgi, typis Pauli Egenolphi.
Anno clo 15 CIV.*



591-

38/44/67155 (o)

MAGNIFICO, NOBILISSIMO,
Clarissimoq; Domino:



Dn. PHILIPPO A MARNIX,
Domino de Santa Aldegunda, inclytæ
Reip. Antwerpianæ Exconsuli.

Nec non

AMPLISSIMO ET PRUDE-
tissimo Dn. DANIELI MOLINEO.

Viris eruditissimis & eruditorum Patronis & Mœcena-
tibus eximiis. Dominis suis perpetuò colendis.

S. P. D.

ROLANDUS DE VVEERT
Antwerpianus.

CONCLUSIONES de operis novi
Nunciatione, & Interdicto quod Vi,
aut Clam, quas ex more celeberrima
hujus Academia publicè excutiendas pro-
posui. Magnif. Nobiliss. Ampliss. Pru-
dentiss. q. viri, mitto ecce vobis, dōcēdōcē
Pignus tamen meæ in vos observantia &
amoris

amoris, si aliqua ex parte exquisito iudicio
vestro satisfaciant, sin minus aptè exierint,
ut castigentur & vapulent: Sed qualescumq;
tandem fuerint, animum intuemini, qui,
dum aliud in præsentiarum non habet, levi
hoc munere se vobis tanti per commendare
voluit, donec majus aliquid & vestra am-
plitudine dignius à nostris studijs profici-
scatur. Agite igitur viri Amplissimi, non
quid possum, aut dem inspicite, sed quid in-
tendam optemq; datum. τὸ διατὰ γὰρ ἡ φύλα ἐπιγν-
τεῖ, οὐ τὸ κράτος δέξιαν. Et licet magna magnos decet
accipere, tamen parva & quum est non con-
temnere. Valete.

Marpurgi è Musæo nostro. Anno cIo.
Io. xciv, propriidie Idus. Ian.

A 2

CON-

CONCLUSIONES
DE OPERIS NOVI NUNCIA-
tione & Interdicto quod vi, aut
clam.

Cum salutem populi supremam legem esse ve-
luerint XII. Tabula, recte sanè & prudenter,
ut cetera omnia, fecere Praetores Romani, qui
juris stricti & aequitatis moderatores, ac velut
arbitri perpetuò existere, cùm hoc edictum de
Novi operis nunciatione proposuere: Cùm enim sapientis
urbis civis contrafas & aequum, aut pravitate natura, aut jus-
ris sui ignorantia lapsi, adiicia sua extruerent, tollerent, de-
molirent. r, atq. ita non leve vicinis damnum darent, & è
contra quidam ita natura morosi, malitiosi, invidi, ut alte-
rius incommode suum existimantes commodum, quidvis
potius moliantur, quam hunc insu justè facientem patian-
tur, atq. hinc iurgia, lites, factiones, rapinae, cædes, que ple-
rung, ruinas secum & civitatum eversiones trahere solent,
non raro orientur: Alio sanè pacto commodius huic malo me-
deri, quam hoc Edicto vix potuere, quo & adificantibus ius
suum carentur, & qui opus novum patiuntur, ne quid in iustè
pati cogantur, prospiciunt: cùm his per nunciationem simpli-
cem, operis inhibitionem, illis adificantib[us] sub cautionis resti-
tutoria lege, aut remissionis impeirata, veniam concedunt.
Quæ singula, quo pacto se habeant, præsentibus conclusio-
bus à nobis deducta & explicata sunt.

Conclu-

Conclusio I.

Opus novum sic à Jctis definitur, cùm quid ædificando, aut demoliendo sit, quod pristinam rei faciem mutet.

II.

Non ergo opus novum facere videtur, qui unum aut alterum cæmentum imponit, aut qui vetus ædificium, necorruat, suppositis tibicinibus fulsit & sustinet.

III.

Est autem operis novi Nunciatio nihil aliud, quām legitima quædam ædificandi facta prohibitio, ne opus, quod facere instituit, faciat.

IV.

Ejus hæc vis est, ut opus tam diu inhibeat, donec de jure ædificantis Prætoria definitione constiterit, aut præstata sit eo nomine satisfatio, partiumve consensu voluntariè à nunciatione recessum fuerit.

V.

Novum opus intellige relatione habita ad tempus quo primùm nunciatio facta est, nam & appellatione interposita, cuius hæc nunciatio naturam imitatur, quicquam novari planè vetitum est.

VI.

Sed si nihil factum sit adhuc in tuo solo, materiam tamen & fabros ad ædificadum comparaverim, utrum rectè nuncies, non inanis dubitandi ratio est, magis placet negativa, quamvis alij aliud sentiant.

VII.

Quod si quid post nunciationem factam operis institutum fuerit, ante cautionē præstitam, jubet id Prætor demoliri.

VIII.

Iure an injuria ædificatum sit insuper habetur.

IX.

Planè si compertum est nunciationis jus nuncianti non competere, impunè nunciationem sperni posse, cùm Gailio adfirmare non dubitabimus.

X.

Sed quæ de vi nunciationis dicta sunt, ita demum procedunt, si nunciatio ritè interposita sit.

XI.

Ritè interposita intelligitur, cum facta est quomodo oportuit, à quibus oportuit, quibus, quo loco & quibus de causis oportuit.

XII.

Fit autem omnis nunciatio trium horum modorum ex aliquo, aut enim per Prætorem nunciamus, aut per jactum lapilli, vel nudis verbis.

XIII.

Non insulsè hic admonebimur, cùm in nostro quid molitur vicinus, ut per Prætorem vel lapilli jactum (quanquam hic modus teste clariss. præceptore nostro D. Gothofredo in usu esse desit) potius, quàm nudis verbis nunciemus.

XIV.

Ita enim fiet, ut quam per verbalem nunciationem amissuri eramus possessionem, nam ea adversarium possessorum facimus, retineamus.

XV.

Ceterùm nunciator jurare debet, se non calumniæ causa nunciare: quod jusjurandum auctore Prætore defr. ur.

XVI Quin

XVI.

Quin & causam suæ nunciationis exprimere, si id ædificans petat.

XVII.

Quod si is qui nunciavit statim jus suum probare patratus est, audiri à magistratu debet, lisq; intra spacium trium mensium terminanda est.

XVIII.

Opus novum nunciandi jus est ei ad quem ea res pertinet.

XIX.

Rectè igitur nunciat, qui dominus est, vel qui servitutem habet.

XX.

Usufructuarius domino nunciare non potest: aliis potest, sed procuratorio nomine.

XXI.

Aliud in vasallo obtinere arbitramur.

XXII.

In servitute rustica locum habere nunciationem contra receptas sententias, cum beatiss. memorie & de nostris studiis optimè merito præceptore Hugone Danello, verum arbitrari.

XXIII.

Servitutis peticio creditor i pigneratio cùm detur, permittendum est ei de jure, id est, de servitute nunciatione.

XXIV.

Idem de superficiario, emphyteuta, vasallo statuo: non idem de colono & inquilino, cùm ne procuratorio quidem

quidem nomine hos nunciare posse, crebriore suffragio comprobatum sit.

XXV.

Tutori quoq; vel curatori nunciatio competit.

XXVI.

Socius si in loco communi quid fiat, vicino recte nunciat, socio non item: sed per Prætorem vel communis dividendo prohibere eum debet.

XXVII.

Uni ex pluribus quorum res communis est, in qua opus fiat, facta nunciatio tenet reliquos: At si unus contra nunciationem fecerit, reliqui non tenentur.

XXVIII.

E contrario nunciatio unius, non prodest alteri: quare si plures domini sint, quibus novum opus nocet, singuli nunciare debent.

XXIX.

Nunciare etiam alieno nomine possumus.

XXX.

Procurator cùm nunciat satisfare debet de rato, licet verus procurator sit.

XXXI.

Neq; hic speciali mandato ei opus esse contra multos adfirmare non dubitamus, generale sufficere cum Duarenō statuentes.

XXXII.

Servus nunciare non potest: servo nunciari potest.

XXXIII.

Et generaliter qui in re præsenti sunt domini operis nomine.

XXXIV. Fabris

XXXIV.

Fabris facta nunciatio tenet etiam infantem & furio-
sum.

XXXV.

Si alibi quam in ipso opere nunciatio fiat, etiam ipsi
domino, inutilis est.

XXXVI.

De iis operibus recte nunciatur quæ solo conjuncta
sunt, quorū ædificatio vel demolitio novum opus con-
tinere videtur.

XXXVII.

Vel refectio.

XXXVIII.

Quare si quis messem faciat, arborem succidat, vineā
putet, quanquam opus faciat, tamen ad hoc edictum
non pertinet.

XXXIX.

Omnibus diebus, etiā feritatis fieri nunciatio potest,
omnibusq; verbis etiam ab ignorantे quid operis fiat.

XL.

Neq; necessaria ad eam impetrandam Prætoris adi-
tio est. Potest enim & jussu Prætoris fieri.

XLI.

Prætoris jussu cùm sit, quod is semel jussit, prohibere
deinde potest.

XLII.

Prætori nunciari non potest.

XLIII.

Nunciamus verò aut juris nostri conservandi causa,
aut damni depellendi, aut juris publici tuendi gratia.

XLIV.

Juris nostri conservandi causa duplex: Publica, priva-
ta. Privata aut naturalis, aut imposititia.

XLV.

Publica, cùm ex SCto vel lege aliqua nūncio: ut si
quis altius extollat ædificium quam legibus aut statuto
concessum sit.

B

XLVI. Natu-

XLVI.

Naturalis, cùm in nostras ædes quid immittitur, aut ædificatur in nostro. Imposititia, cùm quis contra servitatem ædibus suis impositam facit.

XLVII.

Sed nec de publica causa quilibet novum opus nunciare potest: Cives omnes possunt, advenæ & peregrini non æquè, nisi forte de via publica.

XLVIII.

In mari aut ejus littore ædificanti, non rectè nunciat, moderamine adhibito, juri consentaneum est.

XLIX.

Pupillus etiam tutore auctore de opere publico non rectè nunciat: nec mulier, nec servus.

L.

Idem in minore statuimus.

L I.

Non est satis rectè ab initio interpositam esse nunciationem, etiam rite interpositam perseverare oportet, quod si remissa fuerit, tām licet impunè postea ædificare, quàm si ab initio interposita non esset.

L II.

Remittitur nunciatio tribus modis: Conventione litigantium, remissione Prætoria, & satisfactione eius cui opus nunciatum est. *L III.*

Conventione, si inter controvertentes convenerit, ut pet eum qui nunciavit liceat ædificare.

L IV.

Hæc conventio etiam eam nunciationem remittit, quia per Prætorem facta est, quamvis interposta sit Prætori ignorante. *L V.* Remis-

LV.

Remissione Prætoria tollitur prior nunciatio, cùm
is cui opus novum nunciatum est, adit Prætorem, petit,
quatenus ædificandi jus est, sibi nunciatio remittatur,
quod magistratus concedere consuevit.

LVI.

Satisfactione remittitur nunciatio, etiam sine ulla au-
toritate Prætoris, si is cui opus nunciatum est satisfact
nuncianti, se, si jure non ædificavit restituturum quod
fecerit, quodve ex ea re damni erit, præstaturum.

LVII.

Idem est, si per eum stet quominus satisfact.

LVIII.

Satisfactare intelligo datis fidejussoribus: nec pignoris
datio, vel auri depositio vice satisfactionis fungetur.

LIX.

Ea sèpius interponi potest, cùm sine culpa stipulato-
ris cautum esse desit. *LX.*

Si juris publici tuendi causa nunciem, re promissio-
ne contentus esse deboeo.

LXI.

In hac satisfactione sit heredis mentio: ideoq; & ipse
tenebitur, ut patientiam destruendi adversario præstet.

LXII.

Plures heredes promissoris si sint, unusquisq; tenetur
in solidum, ut ipse promissor. Heredes quoq; stipulato-
ris in solidum singuli experiri possunt.

LXIII.

Cùm pluribus dominis nunciatur, omnes debent sa-
tisfactare, vel una satisfactio pro omnibus interponenda

B 2 est.

est. Idemq; è contrario, si plures nūcident omnibus, vel
uni vice omnium, si inter eos convenerit, satis est dan-
dum.

LXIII.

Si satis datum vel oblatum non fuerit, necessaria est
Prætoris remissio: quæ eatenus remittit, quatenus nun-
ciatio tenuit.

LXV.

Si non tenuit nec remissioni locus est, quamvis Cu-
jaci contrarium adfirmet, ita, ut aliter sentiendo, nul-
lam dicat juris disciplinam, nullam scientiam esse.

LXVI.

Extinguitur quoq; nunciatio morte ejus qui nuncia-
vit, sive alienatione: non item ejus cui nunciatum est:
quia ab illa parte nunciatio est in personam, ab hac in
rem.

LXVII.

Satisfactione præstita, Prætor edicto tuetur, cui nun-
ciatum est, ne vis fiat ædificanti.

LXVIII.

Denegata operis novi nunciatione, vel executione,
manent adhuc integræ actiones legitimæ.

LXIX.

Nunciatio statim inhibet opus: Actio legitima non
ante, quām probatum judicio fuerit, non esse adversario
jus ædificandi.

LXX.

Atq; hæc de Novi operis nunciatione: huic Interdi-
ctum ad fine est *quod vi aut clam*, quo Prætor succurrere
voluit iis, qui opus novum aut inviti, aut ignorantes per-
pessi sunt.

LXXI.

Vim facit qui per vim, aut contra denunciationem
facit, aut cùm intelligit se prohibitum iri, molitus est
per vim, ne prohiberi possit: aut si in præsentiarum de-
stite-

Niterit, postea tamen rursus facere cœperit.

LXXII.

Clam facere censetur is, qui celavit adversarium, neq;
ei denunciavit se opus facturum, si modò timuit, aut ti-
mere debuit ejus controversiam, aut si denunciavit, se
opus facturum, aliter, quād denunciavit, fecit.

LXXII.

Vel consultò tunc denunciavit adversario, cùm sci-
ret eum non posse prohibere: sive quovis alio modo de-
ceperit eum ad quem pertinuit opus non fieri.

LXXIII.

Qui denunciat, & diem & horam denunciatione cō-
plete debet, & ubi & quod opus futurum sit: neq; perfu-
soriè, aut obscurè dicere, aut denunciare.

LXXV.

Aamicis deniq;, aut procuratori, aut ad domum de-
nunciandum est, ne quid Clam fecisse videare.

LXXVI.

Competit hoc interdictum dominis, & generaliter
iis, quorum interest, licet non possideant, opus factum
non esse; contra eum qui vi aut clam fecit, fieri ve jussit.

LXXVII.

Semper tamen adversus possessorem operis.

LXXVIII.

Adversus proprietarium ipsum arbores succidentem
rectè expetitur fructuarius.

LXXIX.

Sociis invicem ultrò citroq; datur: quia eorum inter-
est.

LXXX.

Heredibus ceterisq; successoribus ejus in cuius solo

B 3 aliquid

aliquid vi aut clam factum fuerit, ante vel post aditam hereditatem datur.

LXXXI.

In heredem ceterosq; successores non datur, nisi quantum ad eos pervenit. LXXXII.

Est autem haec actio rei persecutoria, ut opus vi aut clam factum restituatur in pristinam formam, impensa facientis & possidentis, vel ejus qui fecit, licet non possidet. LXXXIII.

Ceterum si nec fecit, nec consensit facienti opus, quod tamen possidet: petendum est ut patientiam praestet restituendi alienis impensis.

LXXXIV.

Quod si non restituat reus, aut patientiam restituendi praestet actionem ve cedat; agi potest, ut tum solvat id quod auctoris interest opus factum non esse. Idem est si adversarius dolo malo fecerit quominus restituere posset. LXXXV.

Interesse autem per jusjurandum in litem auctoris, aut si jurare non possit, judicis officio estimabitur.

LXXXVI.

Post annum vero non competit, nisi causa cognita: Annus autem cedere incipit ex quo id opus perfectum est, aut fieri desiit licet perfectum non sit.

LXXXVII.

Et notandum hoc interdictum ad ea tantum opera pertinere, quae in solo fiunt, quare qui arbores, salictum, arundinetum, vineas, &c. vi aut clam succiderit, cum terrae & quodammodo solo ipsi corruptendo manus inferat, hoc interdicto tenetur.

PARER.

PAREGAE

I.

Indebitum per errorem juris solutum condici non possè, constanter contra communem adfirmare non dubitabimus.

II.

Vana est Dd. inter servitutes continuas & discontinuas distinctio: pariter enim omnes usucapiuntur.

III.

Impubes pubertati proximus cum Titio contraxit, jurans se adversus eum contractum non esse venturum: pubes factus, cùm se læsum cerneret, restitutionem in integrum petit, quæritur quid juris, & rectè eum petere, non obstante juramento, adseveramus.

IV.

Minor curatore auctore, prædium sine decreto Magistratus vendidit, jurans se contractum servaturum. Quæro an adversus juramentum restitui læsus possit? Adfirmo.

Nuptias contractum esse, & quidem ex eorum numero qui consensu solo perficiuntur, certis rationibus moti defendemus.

VI.

Consensum parentum in nuptiis liberorum etiam Canones requirunt.

VII.

Filia sine consensu patris nupsit, magna est controversia, utrum eam pater dotare teneatur, quam nos distinctionis foedere conciliabimus.

VIII.

Cùm ea quam virginem putabam matrimonium contraxi

contraxi, invenio gravidam aut compressam ab alio, à matrimonio resilire me posse, & legibus & jure divino consentaneum est, licet Canones & nonnulli summi Theologi dissentiant.

IX.

Mulier intra annum luctus ad secunda vota transiit, quæro an valeant nuptiæ, & liberi inde nascantur legitimi. Et valere non solum Canones, sed & Civilia jura demonstrant.

X.

Cùm iniquissimè æqualitas dotis & donationis propter nuptias à Justiniano introducta sit, rectè ab ea usu recessum esse, & vetus jus servari in Imperiali Camera indubitati juris est.

XI.

Feudum nec pignori nec hypothecæ dari posse contra receptas sententias, defendemus.

XII.

Ordines sive Status ad frenandos supremos magistratus constituti, possunt ac debent omnibus modis illis resistere, cùm in Tyrannos degenerant.

XIII.


Oτι εν ιου τὰ ἀμερικαναὶ τὰ κατοθάματα cum ICtis contra Philosophos statuimus.

F I N I S.

•69•

380/44/67155(0)

X13<4467155000013



+ colorchecker CLASSIC

x-rite +



Freie Universität Berlin